



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De temporibus ordinationum. 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

vel præsentante ad Ordines, nullam ab ipsis sustentationem expostulandi.

9. Ex his solum est primum fundamentum pro sententia Suarez adductum. Ad secundum pateat, illas dimissorias eo titulo impetratas fore subreptias, ac proinde nullas; sed non obinde incurris suspensionem impositam iis, qui promouentur absque dimissoriis: quia absolute cum dimissoriis tui Episcopi promoueris, esto, inualida sint: oportebat enim, ad hanc suspensionem nullas ab Episcopo dimissorias obtinere: quia negatio omnia excludit. Alias, si fictio patrimonij satis est hanc suspensionem incurrendam, eò quod dimissorias subreptitias reddat, etiam fictio morum, & generis sufficit: siquidem Episcopus, cognita veritate, nullo modo dimissorias concederet. Quapropter ob huiusmodi defectum existimant Auila 3. *part. de censur. disput. 5. ad 3.* & Henriquez lib. 13. *cap. 37. numer. 2.* non contrahi suspensionem impositam promotis absque dimissoriis. Ad tertium nego, ob prædictum, defectum, te recipere Ordinem futiuè: siquidem es promotus ab Episcopo, qui te agnouit, & ad suscipiendum Ordinem approbavit. Ad futiuam autem ordinationem requiritur, vt procedat ex ignorantia omnimoda personæ, vt contingeret, si sub nomine alterius te ordinandum intrmitteres; cum tamen nec vocatus, neque approbatus esses.

10. Illud verò longè probabilius est, si patrimonium habeas sufficiens ad victum, acceptum tamen sub onere, & obligatione reddendi donatori, te non contrahere vllam suspensionem: quia dici non potes promotus absque titulo, cum verè illius patrimonij dominium habeas, sicuti notarunt Tolet. lib. 1. c. 48. *vers. 15.* Garcia 2. *part. de benef. c. 5. n. 161.* Barbol. *alleg. 10. n. 30.* esto, contra teneant alij relati à Garc. n. 135. & Barbol. *suprà.*

11. Ad extremum aduerte, supradicta procedere spectato iure communi, & Tridentino: ac spectata constitutione Vibani V III. edita 11. Decembr. anno 1604. quæ incipit, *Secretis æterna providentia.* Hispani, Lusitani, Galli, Germani, alique vltimontani promoti in Italia sub falso patrimonio suspensionem Sedi apostolicæ referuatam incurruunt, vt constat ex dicta Bulla, ibi: *Promoti verò absque litteris dimissorias recognitis à Nuncio, vel Collectore, vel Vicario Summi Pontificis in urbe, perpetua, suspensionis poenam, absque spe dispensationi à Sede Apostolica obtinenda incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, aut etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonij titulis scilicet ad huiusmodi Ordines promoueri fecerint non solum prædictis: verum etiam maioribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis afficiendos poenæ, &c. Et notauit Bonacina disputatione 8. de Sacramento, quæstion. unica. punct. 5. n. 21.*

P V N C T V M XIII.

De temporibus Ordinationum.

1. Prima tonsura quolibet die, & hora conferri potest. Minores quolibet die Dominico, vel festiuo, modo ne sit generalis ordinationis.
2. Item, in quatuor temporibus.
3. Maiores Ordines quo die.
4. Consecratio Episcopi Dominica die.
5. Interstitia quæ sint seruanda in Ordinibus minoribus, & ad maiores ascensu.
6. Quæ ab Ordine subdiaconatus ad diaconum.
7. Item, à diaconatu ad presbyteratum.
8. Duo sacri Ordines eodem die nemini, etiam Regulari, conceduntur.
9. Quis locus sacris ordinationibus conueniat.
10. Graues Doctores censent, priuilegia Religiosorum Prælati concessa dispensandi in interstitiis, & extra tempora, esse per Tridentinum reuocata.
11. Prælati Societatis prædicto priuilegio gaudent, non obstante dispositione Concilij.
12. Satis contrariis.
13. In aliis Religionibus esto, communiter censent Doctores, reuocata esse priuilegia dispensandi extra tempora, & interstitia, probabile est non esse reuocata.
14. Quæ poena sit imposita promotis, & promouentibus extra tempora, & non seruatis interstitiis.

1. Prima tonsura quouis anni tempore, qualibet die, hora, & loco conferri potest, vt ex omnium sententia, & consuetudine recepta tradunt Henric. lib. 10. c. 12. 1. *Vatq. disp. 246. c. 5. initio* Barbola *alleg. 11. n. 19.* Laym. *tr. 9. de Ordine, c. 8. n. 1.* Bonac. *disp. 8. de Sacram. q. v. p. 6. n. 1.*

2. Minores Ordines quouis die Dominico, vt dicitur in Pontificali Romano, vel quouis die festiuo conferri possunt aliquibus, non multis, ne generalis appareat ordinationis. Habetur c. *De eo de temporib. Ordinat.* & tradunt relati Doctores.

Diem festum intelligit Villalob. *tr. de Sac. Ord. diff. 17. n. 6.* quem Clerus officio duplici, vel semiduplici celebrat ex quadam declarat. Clem. V III. facta Ioann. de S. Clemente Archiep. Compostell. Sed rectius Vuald. *in Cand. aur. 1. p. tit. de Sac. n. 35. vers. Tertia concl. Azor. 2. p. inf. mor. lib. 1. cap. 27. quæst. 19.* Barbol. *de pot. Ep. alleg. 11. num. 18.* existimant sub die festiuo non esse intelligendum, quem Clerus celebrat officio ecclesiastico; sed, quem Clerus, & populus celebrant sub præcepto: quia in communi acceptione dies festus dies feriatu appellatur: secundum quam præsumitur Pontifex locutus. Quinimo Gl. *in c. Sanè. de temp. Ord. vers. Ad sacros.* non quocumque dies festos, sed solennes credit intelligendos: & Syluest. *Ordo, n. 6.* præcipuos: sed immerito, cum Alexand. III. *in d. c. De eo. solum* expostulauerit, diem festiuum. Quapropter opus non est, vt dies festus vniuersalis sit: sufficit, si in ea diocesi vt talis habeatur: quia absolute est dies festiuus, vt bene alius relatis. Barbola *de pot. Episc. alleg. 11. n. 18.* Præter diem Dominicum, & festiuum, minores Ordines conferri possunt sabbatho quatuor Temporum, & sabbatho ante Dominicam Passionis, sicut & maiores. Item, ex recepta consuetudine feria sexta in vespere, minores conceduntur: quia illa censetur lichoatio generalis ordinationis in sabbatho peragenda, & conueniens dispositio, vt maiori cum sollempnitatibus maiores sabbatho celebrentur, vt docuit Henriquez lib. 10. *cap. 12. §. 2.* Layman. *tractatu 9. de ordines, cap. 8. num. 1.* Barbola *allegat. 11. num. 17.* Quinimo feria quarta quatuor Temporum habere Episcopum porestatem conferendi Ordines, ex communi consuetudine, & præxi, testantur Henriquez Layman. Barbola *loc. alleg. Emman. S. Ord. num. 13.*

3. Maiores Ordines nisi in sabbatho quatuor Temporum, & sabbatho ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis conceduntur, ex textu in cap. *De eo. de temporib. ordinar.* & cap. fin. *distinct. & Trident. sess. 23. cap. 8.* Quique conferendi sunt tempore Missæ, vt colligitur, tum ex consuetudine, tum ex cap. *Quod sicut de electione.* Permittitur autem Episcopo, vt ordinationes sabbatho faciendas ad sequentem Dominicam traheret ex causa aliqua rationabili: qualis esset, si ob infirmitatem, vel ob multitudinem ordinandorum sabbatho non potuit Ordines peragere. Debent tamen, tam ipse, quam ordinandus, ieiunium sabbathi præcedens continuare: ob hanc enim ieiunij continuationem ordinationes factæ die Dominico retrorahuntur ad sabbathum, & quasi in sabbatho facta reputantur, vt docuit Glossa in cap. *Quod à Patribus 75. dist. Henric. lib. 10. c. 12. num. 2.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 41.* Laym. *tr. 9. de Ordine, cap. 8. num. 5.* Villalobos *difficult. 13. num. 2.* Ex quo fit, nullatenus permissum esse Episcopo diaconatus, vel presbyteratus Ordinem concedere die Dominica ei cui sabbatho antecedenti subdiaconatus Ordinem contulit quia conferretur duos Ordines sacros eodem die conferretur quod, vt dicimus, prohibuitur est: & notauit Laym. *tr. 9. de ordine, c. 8. n. 5.*

4. Pro consecratione Episcopi dies Dominica ex Ecclesiæ consuetudine designata est, vt colligitur ex cap. *Quod die 75. dist. & tradunt omnes.* Solum est dubium, an, si die Dominica promotus fuisse in Presbyterum; vel, quia priuilegium suscipiendi Ordines extra tempora habuisti; vel quia ieiunium sabbathi antecedentis continuatum est: possit in Episcopum consecrari. Suar. *disput. 31. sect. 1. num. 41.* existimat, id fieri non posse, eò quod duplici Ordine sacro nequis eo die insigniri. Id ipsum docuit Barbol. *alleg. 5. in fine.* Sed communis sententia, de qua Abbas in cap. *Litteras de temporib. Ordinar.* Glossa verbo, *Sabbatho in cap. Quod à Patribus 75. dist.* contrarium firmat: quia consecratio Episcopi non reputatur Ordo distinctus: sed sacerdotio: sed illius petitione, & complementum, ac proinde non potest comprehendendi sub prohibitione cap. *Litteras. & cap. Dilectus de temporib. Ordinat.* ne eodem die duo sacri Ordines alicui conferantur.

5. Temporum interualla, seu interstitia constat in Ordinibus minoribus non esse ex necessitate seruanda: sed arbitrio Episcopi remittitur à Trident. *sess. 23. cap. 11.* Quare poterit Episcopus, vel ob consuetudinem receptam, (si forte adest,) vel ob aliam rationabilem causam, primam tonsuram, & Ordines minores vno die eadem conferre, vt tradunt Henric. lib. 10. *cap. 11. num. 4.* Barbol. *allegat. 11. numer. 13.* & segg. *Valg. disp. 246. cap. 5.* Villalob. *difficult. 12. numer. 1.* Laymann. *tract. 3. cap. 8. numer. 6.* Ab Ordinibus autem minoribus ad maiores ascensus nemini

nisi post annum, permittitur, nisi necessitas, aut ecclesie utilitas iudicio episcopi aliu exposita. Necessitate autem vel utilitate ecclesie interueniente, non solum poterit Episcopus intra annum Ordinem subdiaconatus conferre ei, qui minores Ordines suscepit; sed in eisdem Ordinibus: vt, si vespere ante sabbatum Ordines minores collati sunt, poterit sabbatho subdiaconatum conferre. Quinimod eodem die sabbathi, & minores, & subdiaconatus simul conferri possunt: quia nullus est textus id interdicens. Solum enim duos ordines sacros eodem die conferre prohibetur: at ordinem sacrum simul cum minoribus conferre, nullibi est prohibitum: quare stante Ecclesie necessitate, nullibi est prohibitum: quare stante Ecclesie necessitate, aut utilitate, optime poterit Episcopus dispensare: & sepe in Hispania factum esse vidi. Atque ita docent Valquez *disput. 2. de Ordine, cap. 5. a numer. 47. Hentici, lib. 10. cap. 11. numer. 4. Sa verbo, Ordo, numer. 17. Layman. l. 5. sum. tract. 9. cap. 8. circa finem. Villalob. tract. 11. de Ordine, difficult. 12. numer. 7.*

Necessitas Ecclesie reputatur esse, quando ordinandus habet beneficium, vel capellam, cui debeat inseruire: non enim obsequium per interpositam personam aequi idoneum ac decens est. Item, quando in Ecclesia, vbi ordinandus habitaturus est, desunt idonei Ministri, qui solitis muneribus satisfaciunt. Utilitas vero Ecclesie adesse censetur, si ob eam ordinationem prestatum obsequium Ecclesie aptius esse prestandum, vt docent Sorbus in *addit. ad Compend. verb. Ordines sacri, vers. Et quin Villalobos tract. 11. de Ordine, difficult. 12. numer. 3. Rodrig. tom. 3. q. regular. quest. 24. art. 7.* Annus vero interstitiorum computandus est more ecclesiastico, id est, a ieiunio quatuor Temporibus presentis anni vsque ad simile ieiunium anni sequentis, sicut ex declaratione sacre Congregationis testantur Farinac. & Barbosa in *Concil. d. sess. 24. cap. 13. de reformat. & tradit Villalobos tract. 11. de Ordine, difficult. 12. numer. 6. Quarta verbo, Ordo, sub finem. Bonac. disp. 8. de Sacram. q. vn. p. 5. numer. 51.*

Ab Ordine subdiaconatus ad diaconatum nemini, inquit Trident. *sess. 23. cap. 13.* permittitur ascendere, si per annum saltem in subdiaconatu versatus non fuerit, nisi aliud Episcopo videatur. Vbi aduerte, pro ascensu ad diaconatum, & dispensationem interstitiorum huius Ordinis, necessitate, aut utilitate ecclesie non requiritur; sed quamlibet rationabile causam arbitrio episcopi sufficientem esse, vt notauit Villalobos *difficult. 12. numer. 3. Rodrig. tom. 3. q. regular. q. 24. art. 24. in fine.*

A diaconatu autem ad presbyteratum non datur ascensus ante annum ministracionis, nisi ob ecclesie utilitatem aliud faciendum episcopo visum fuerit, vt dixit Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 14.* Quare in hac dispensatione prestanda non sufficit Ecclesie utilitas, sed necessitas adesse debet: & notante Villalob. & Rodrig. *supra.*

Duo vero sacri Ordines nemini, etiam Regulari, permittuntur eodem die conferri, non obstantibus quibuscunque privilegijs, ac indultis, ex *cap. Litteras cap. Dilictus de temporibus Ordinatus*, & Trident. *sess. 23. cap. 13. de reformat. in fine.* & tradunt Doctores omnes.

Quoad locum vero, in quo ordines conferendi sunt, inquit Trident. *sess. 23. cap. 8.* Ordinationes sacrorum Ordinum, statuta a iure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis presbiteris, que ad id Ecclesie Canonice publice celebrantur. Si autem in alio dicecisi loco, presente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Hac tamen sub graui culpa non obligant, quia nullum est verbum, quod preceptum indicat. Quapropter non solum in Ecclesia, sed in capella speciali, & priuata domus solent Episcopi Ordines celebrare, ex text. in *cap. Quando 75. dist. tradit Gloss. c. fin. eadem dist. Henric. lib. 10. c. 11. §. 8. Barbosa alleg. 11. de potest. Episc. n. 20. Villalob. difficult. 13. n. 7.*

Hucusque locuti sumus, spectato iure communi, superest examinandum, an Regularibus concessa sint aliqua privilegia, tum ad dispensandum in interstitijs, tum vt extra tempora a iure statuta ordinatio fiat? Plures, grauissimique Doctores affirmant, per Trident. reuocata esse privilegia, que Regularibus erant concessa pro dispensatione interstitiorum, & extra tempora. Sic Prosper August. in *addit. ad Quarta verbo, Ordo, prope finem, pag. 395. Aloyf. Riccius in Curia Archiepiscop. Neapolit. decis. 83. August. Barbosa in remiss. Concil. sess. 23. cap. 11. Molfes. tract. 2. cap. 1. numer. 56. Bonac. disp. 8. de Sacram. quest. vn. pun. 5. numer. Miranda director. Pralat. tom. 1. quest. 38. art. 7. Farinac. tom. 4. decis. 184. referuntque sic decilum esse a sacra Congregatione in hac verba: *Sacra Cardinalium Congregatio censuit in ordinatione Regularium dispensationem super interstitijs pertinere ad Episcopum ordinantem: debet tamen fieri mentio in litteris dimissorialibus suorum Superiorum petentium ab Episcopo, vt super illis dispensare dignetur, attenda necessitate, vel Perda de Castro Sum. Mor. Pars I V.**

utilitate Ecclesie, seu Religionis. Ratio est: quia Trident. *sess. 23. cap. 8.* statuit, ordinationes statuta a iure temporibus celebrari, ita vt neque Episcopis permittat extra tempora ordinationes facere: neque alijs, quam ipsis, concedit facultatem dispensandi in interstitijs, vt videri potest in *dicta, sess. 23. cap. 11. §. 14.* Sub nomine autem Episcopi nullatenus Prælati regulares veniunt. Neque obstat, quod in *illo cap. 8.* nulla fiat derogatio expressa privilegiorum Regularium: tacite enim ea constitutione derogantur: siquidem obseruari non potest nisi prædictis privilegijs in contrarium derogatis. Præterea, *sess. 25. cap. 22. de Regularibus.* præcipit Trident. hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta obseruari, non obstantibus privilegijs, &c. Ergo ex vi illius clausulæ omnia privilegia Tridentino contraria reuocantur. Deinde Gregor. XIII. & Sixtus V. alique Pontifices Religionum Mendicantium privilegia confirmant, dummodò contraria non essent Trident. ergo tacite voluerunt contraria Trident. infirmare. Denique Sixtus V. Gregorij XIII. successor Breue expedit aduersus male promotos, quod incipit, *Sanctum & salutare.* in quo tam Regularibus, quam secularibus præcipit, sub grauissimis pœnis, ne extra tempora a iure statuta, neque aliter, quam in Concilio Tridentino præscribitur Ordines suscipiantur. Et in fine subdit clausulam reuocatoriam omnium privilegiorum, &c.

Cæterum omnino dicendum est, Religiosos Societatis Iesu ex facultate Præpositi Generalis posse extra tempora a iure statuta, & ex facultate Prouincialis, non seruatis interstitijs, ad sacros Ordines promoueri, obligatimque esse quemlibet Episcopum requisitum, Ordines conferentem, huic dispensationi acquiescere. Sic expressè docuerunt Valquez *disput. 2. de Ordine, cap. 52. numer. 50. in fine. Henriquez lib. 10. cap. 23. numer. 4. & in comment. lre. M. Rodrig. t. 3. q. regul. q. 23. art. 5. Villalob. tract. 11. de Ordine, difficult. 12. in fin. & dist. 13. numer. 6.* Ratio desumitur ex Bula Gregor. XIII. que incipit, *Pium, & vtile.* cuius incipit Compend. privileg. Societatis, verbo, *Ordo, §. 3.* in ea namque Greg. XIII. intendens, ne Episcopi ob Trident. decreta a nostris obseruationem interstitiorum, & aliorum que pro suscipiendis Ordinibus requiruntur, exigent, inquit: *Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes, omnibus Episcopis, & alijs Antistitibus presentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, ac interdicens, ne ab huiusmodi promouendis, qui licentiam ad Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegato habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant: sed ipsos, etiam absque vlla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos obseruatione, aut inquisitione de cantu officijs, ac caremonijs ecclesiasticis, & idoneitate, proprijs Ordinarij licentia, & alijs in alijs requisitis ad minores, ac etiam extra tempora a iure statuta: tribusque Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, ad sacros etiam presbyteratus Ordines promoueat, ac si illi omnibus requisitis prædictis essent. Nos enim illos Ordines omnes prædictos sic suscipiendi, ac prædictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Presentis autem eme gratia communicationem omnibus alijs, etiam qui sua privilegia cum Societate copiose participant, participareque poterant, quomolibet in futurum fieri omnino prohibemus.*

Huic privilegio obstare non potest declaratio sacre Congregationis; partim, quia loquitur generaliter de omnibus Regularibus; partim, quia antecessit prædictam concessionem Gregorij nouem annis, teste Paracelso *compend. privilegior. Mendicant. fol. 225. & Miranda dicto tit. 1. quest. 38. art. 7.* ac proinde concessionem Gregorij subsequenter limitare non poterat, partim, quia ea declaratio nititur Tridentini dispositioni, qua non obstant Gregorius XIII. Societatis Religiosus prædictum privilegium concedit. Quare, etsi dictis Concilij decretis privilegia antecedentia derogent, privilegium Gregorij subsequens, & conciliarijs Constitutionibus mentionem faciens non derogat. Neque item obstat motus proprius Sixti V. Nam, vt rectè Rodrig. *t. 3. q. regular. q. 23. art. 5.* illa Constitutio fertur aduersus eos, qui nimia (vt inquit Sixtus) simplicitate, & imperitia, malicia aut fraude, siue alijs modis rectè, vel etiam temerè se ingerunt ad ordinandum extra tempora, vel non seruatis interstitijs. Non igitur procedit aduersus eos, qui ex privilegio Sedis apostolicæ ordinantur extra tempora, aut non seruatis interstitijs. Præterea hic motus proprius nullam vim suffinet, vtpote qui reuocatus est per Gregor. XIV. & Clement. VIII. & reductum ad terminos iuris communis, teste Zerola *praxi episcop. 2. t. verbo, Ordo, dub. 8. Suarez de censur. disput. 31. sect. 1.*

numer. 42. Toletio aliis relatis, in addition. lib. 1. c. 48. Stephano. Daulla 3. p. de censur. dispus. 5. dub. 7. in fine. Verum, ut omnis dubitatio in hac parte tolleretur, Paulus V. anno 1606. Septembris 4. omnia privilegia, & gratias à suis prædecessoribus concessas specialiter à Gregor. XIII. motu proprio, & ex certa scientia confirmavit, & sic approbavit: *Necnon privilegia facultates, exemptiones, gratias, & indulgentias prædictas, & alius prædecessoribus nostris eidem Societati, & illius pro tempore existenti Præposito Generali, & Religiosis principaliter, vel per communicationem concessa, qualiacunque illa sint, ac de super concessas Litteras, presentibus haberi volumus pro expressis, & inde sequuta quacunque (salvis Litteris pia memoria Leonis Papa X I. etiam prædecessoris nostri, super decimis emanatis) apostolica auctoritate prædicta eorundem tenore presentium, perpetuo approbamus, & confirmamus, ac illis perpetue inviolabilis firmitatis, ac nostre, & Sedis apostolicæ auctoritatis robur adiciamus, eaque omnia, & singula innovamus, & denud concedimus, atque omnes, tam iuris, quam facti defectus, si qui forte quomodolibet intervenierint, in eisdem supplementis, adiecta in fine clausula derogatoria, Quoruncunque in contrarium. Ex qua Bulla liquido constat, privilegium Superioribus Societatis concessum, concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis, à Gregorio XIII. innovatum esse, & denud concessum à Paulo V. tametsi per Sixtum V. esset derogatum. Etenim reuocatum erat à Leone X I. privilegium nobis concessum à Gregorio XIII. exemptionis à decimis solvendi. Ne ergo à Paulo V. in prædicta Bulla censeretur denud concessum, & innovatum, debuit illam exceptionem exprimere. Cum ergo prædictam exceptionem in nullo alio privilegio constituat, inferitur sane, cetera omnia innovata, & approbata esse, & denud concessa. Quare Episcopi, quibus hæc privilegia manifestantur, nequeunt absque gravi culpa nostros à collatione Ordinum repellere ob non servata interstitia, & c. quia Gregor. XIII. viitur verbo præceptivo, precipimus, & interdiciamus.*

11. Cæterum Gab. Valq. disp. 246. c. 5. n. 50. in fine, & Henric. sum. 1. 10. c. 23. n. 4. & Man. Rodrig. tom. 3. qq. regul. q. 24. art. 3. Barbol. Bonac. Mirand. Paracellus, & alij superius relati, existimant, aliorum Religionum Prælati ademptam à Trident. facultatem concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis ob rationes superius allatas: & quia Gregor. XIII. huius privilegij communicationem aliis Religionibus interdixit, nihilominus satis probabile existimo, quod tradit Rodrig. sibi contrarius 1. 3. qq. regul. q. 23. art. 5. Villalob. tract. 11. de Ordine, difficult. 12. in fine, & difficult. 13. n. 6. nempe, Prælatos Religionum uti posse facultatibus in hac parte ante Trid. concessis, neque per Trid. esse derogatas. Etenim, Alexand. IV. concessit, quod Prior Generalis Ordinis S. Hieronymi, & singuli Priores eiusdem Ordinis præfentes, & futuri possent eligere quemcumque Episcopum catholicum communionem Sedis apostolicæ habentem, qui personas singulorum Monasteriorum huiusmodi ad id idoneas ad omnes etiam sacros, & presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à iure statuta tribus diebus Dominicis, siue festiuis duplicibus successivè promoveret possit, dicecæsanorum licentia super hoc requisita. Sic refertur in Compend. Mendicant. tit. Ordines sacri, §. fin. Item, Eugen. IV. concessit, ut singuli Monachi præfentes, & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, siue nominaverit, semel duntaxat anno quolibet omnes etiam sacros Ordines, vna, & eadem die, etiam extra tempora à iure statuta, à quibusvis catholicis Antistitibus gratiam, & communionem Sedis apostolicæ habentibus cuiusvis super hoc licentia minime requisita suscipere, dictique Antistites eisdem Monachis Ordines huiusmodi conferre possint. Sic habetur in dicto Compend. Mendicant. tit. Ordines sacri, §. 8. quibus privilegiis fruuntur Religiones Mendicantes, & alia, quæ in privilegiis Religionum communicant. Hæc ergo privilegia quoad facultatem concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis, affirmant Rodrig. & Villalobos supra, non esse à Concilio derogata; bene tamen quoad facultatem suscipiendi duplicem Ordinem sacrum eodem die, & ab Episcopo in aliena dicecæsi absque licentia proprii. Etenim de hac facultate suscipiendi duplicem Ordinem sacrum eodem die inquit Concil. Trident. sess. 23. cap. de reformat. in fine: *Duo sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus, conferantur, privilegio, ac indulgentiis quibusvis concessis non obstantibus.* De facultate autem se promovendi ab alieno Episcopo inquit Trid. cap. 8. *Quod si quis ab alio, quam à proprio Episcopo promoveri perat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegij prætextu, etiam statuti temporibus permittatur.* Et sess. 1. de reformat. c. 5. ait: *Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegij prætextu, pontificali in alterius dicecæsi exercere, nisi de Ordinarij expressa licentia, & in personas eidem Ordinarario subiectas, seu habentes à suo Ordinario dimissiones, ut bene explicavit Rodrig. 1. 3. qq. regul. q. 24. art. 2. Cum ergo de facultate Religiosis facta concedendi extra tempora, dispensandi*

que in interstitiis, nulla adfit à Concilio derogatio, dicendum est in suo robore persistere.

Neque verum est, per clausulam illam generalem derogatoriam appositam sess. 23. c. 22. de Regularibus derogata esse omnia privilegia Regularibus concessa, aduersa Trident. statutis: nam illa derogatio, vixit odiosa, non ad omnia contenta, & disposita in Trident. sed ad contenta, & disposita in illa Trident. sessione extendi debet: neque est vllum fundamentum, ratione cuius debeat extendi ad omnia in Trident. contenta. Nam, si Trident. vellet omnia privilegia Regularium aduersa Trident. decretis derogare, in ultimo decreto, sess. 25. de reformat. prædictam derogationem constitueret: quod tamen non præstitit. Igitur nulla alia privilegia quam aduersa decretis illius sessionis 25. illa clausula derogantur, ac proinde privilegium concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis ab Alexand. & Eugenio concessum, firmum persistit. Neque ex eo, quod Gregor. XIII. & Sixtus V. confirmaverint Religionum privilegia, quæ Tridentino aduersa non erant, inferitur, derogasse aduersa; sed solum inferitur nonuisse ea confirmare, & locum opinionibus relinquere, an essent reuocata. Minus obstat motus proprius Sixti V. qui, ut superius dictum est, fertur contra male promotos, qui conteri non debent promoti ex Sedis apostolicæ privilegiis. Item, ille motus reuocatus est, & ad terminos iuris communis redactus. Neque denique obstat prohibitio facta à Gregorio XIII. ne alij Religiosi aliorum ordinum communicationem in dicto privilegio suscipiendi ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, communicarent: nam hæc prohibitio solum inferit, non posse eo privilegio uti Religiosos aliorum ordinum via communicationis; non tamen impedit, quin eo uti possint, si aliunde est illis concessum, vti concessum est ab Alexand. VI. & Eugenio IV. Neque prædicta prohibitio tollit, quin alij Pontifices successores eam communicationem facere possint, vti fecit Gregor. XIV. sicuti probat Rodrig. 1. 1. qq. regul. q. 55. art. 17. Adde, est, per Trid. reuocata essent privilegia Alexand. VI. & Eugenij IV. at Clementis VIII. speciali concessione innovata esse censetur, teste Rodrig. dicto 1. 3. qq. regul. q. 25. n. 5. in fine, & Villalob. tract. 11. de Ordine, difficult. 12. in fine, & difficult. 13. n. 6. & approbat Barboza in remissionib. Concil. sess. 23. cap. 8. Affirmantque Rodrig. & Villalob. non solum in tribus Dominicis, sed etiam in tribus diebus festiuis duplicibus promoveri Religiosum posse ob concessionem Alexand. VI. & declarationem Clement. VIII. Quod credo probabiliter sustineri posse; tametsi veritas censam, quæ alij privilegium absolute conceditur, ut extra tempora in tribus Dominicis, vel diebus festiuis ordinetur, quin additum fuerit, duplicibus, vel semiduplicibus, intelligi debere de festiuis diebus, qui à Clero, & populo sub obligatione præcepti celebrantur: quia, ut dixi, dies hic secundum communem hominum acceptionem festiui nuncupantur, non illi, quos Clerus officio duplici, vel semiduplici honorat.

14. Ad extremum, superest dicendum, an aliqua pena imposita sit promotis, vel promouentibus extra tempora, vel non servatis interstitiis. Et quidem ob non servata interstitia præcisè neque promovens, neque promotus, vllam penam suspensionis, aut irregularitatis incurrit; quia nullibi cautum est, sicuti notant Zerola in praxi episcop. 2. p. verbo, Ordo §. 8. & 2. p. eodem, vers. Ad quintum Riccius in collect. decif. 3. collectan. 576. Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 41. An si non solum non servatis interstitiis, sed eodem die absque dispensatione Pontificis duplicem sacrum Ordinem receperit, ab illorum executione suspensus est ex communi sententia, in cap. Litteras de temporibus ordinat. Quod verissimum est, si promovens ignarus sit huius delicti; quia tunc ordinem furtivè suscipit, ac proinde incurrit suspensionem latam in cap. Innotuit. De eo, qui Ordinem furtivè suscipit. Si verò sciente ordinante promotor fuerit, meritò dubius est Suar. quia text. in cap. Litteras. non videtur legem ferre, sed solum specialem casum decidere, & punire. Quod, si omisso ordine inferiori ad superiore ascendas, verius est, te suspensionem incurtere ex cap. Sollicitudo. 52. dist. & cap. cum de Clerico per saltim promot. & Trident. sess. 23. c. 14. de reformat. in fine, & tradit Nauarr. c. 25. n. 71. & c. 27. n. 242. Suar. de cens. disp. 31. sect. 1. n. 43. Auila 7. part. disp. 9. dub. 2. Si verò extra tempora se promoveri facias, cum tamen privilegium à Sede apostolica non obtineas, suspensionem incurris latam à Pio II. in Extravag. Cum ex sacrorum, quam Clemens VIII. approbavit, & confirmavit, de qua Auila de censur. 3. p. disp. 5. dub. 7. Suar. 1. 5. disp. 31. sect. 1. num. 30. Rayman. lib. 5. sum. tract. 9. cap. 10. numer. 2.